

JESU COEPTIS ANNUENTE!

De

INIQUA
EXPULSIONE
OTTONIS IV. IMP.
E REGNO,

Consensu

Amplissimi Senatus Philosophici

In

Academia ad Pleissam

publicè disputabunt

PRÆSES

M. HERMANNUS *Biechorst* /
Hamburg. SS. Th. Cultor.

ET RESPONDENS

CHRISTIANUS CRUSIUS,

Teuchrâ-Misn. Phil. Bacc. & SS. Th. Cult.

In Auditorio Majori Principum

Anno R. S. MDCXC. d. 15. Novembr.

LIPSIAE, Literis JOH. GEORGI.





PRÆFAMEN.

Hic dies hodiernus, qui Disputationi huic conditus, nomine LEOPOLDI Romani nostri Imperatoris (quem DEUS IMPERATOR SUMMUS atque COELESTIS vitâ longissimâ dignetur) designatus. Quem nostrum Augustum non minus humanitate & fide, quam victoriâ & virtute præstantissimum esse, innumeri ferè Eruditi Scriptis suis divulgârunt. Ut hinc haud immeritò laus egregia Davidis item Julii Cæsaris ei ascribi possit. Namque hætenus omnes Duces, magno Principis ornamento, virtute imperantium propriâ vicit, fide, dictorum verborumque constantiâ & veritate longo post se intervallo reliquit, fortitudine dolorem & mortem spernente, terribilia non timente, adversa vincente fortiter, pericula tolerante patienter superavit; nullam Idumæus unquam sibi difficultatem permiscendam, nullum discrimen detrectandum; nullam dimicationem refugiendam putavit, feliciter pugnando hostium astus consilio elusit, temeritatem virtute domuit, pertinaciam constantiâ fregit; ac verbo unico ut complectar, rerum gestarum gloriâ palmam omnibus præripuit. Servet ita DEUS Ter O.M. hanc Cæsaream Majestatem, eamque custodiat paternè ab ejusmodi malo

A 2

inte-

intestino & exitiosissimo, quale quondam illatum OT-
 TONI IV. IMPERATORI ROMANO, quando ob
 injustissimam causam ab hostibus suis è regno expul-
 sus. Cujus EXPULSIONEM INIQUAM in Dispu-
 tatione hac ob oculos ponere mecum constitui, inter-
 jectis quibusdam *Questionibus & Consectariis*. Quam
 in tria membra divido, nimirum ut Primum EXPUL-
 SI OTTONIS PERSONAM; Secundum HOSTES,
 à quibus expulsus, & Tertium EXPULSIONIS CAU-
 SAM nos doceat. Interim B. L. majorem in modum
 oro, velit, si forsan aliquid à me positum fuerit, quod
 erroris culpâ teneatur, æqui bonique consulere, & si
 melius noverit, candidus mihi impertire. Nunquam
 enim erit is promptior ad corrigendum, quam ego ad
 emendandum. Faveat insimul mihi meisque studiis,
 & confidat, me ad salutem suam auxilium DEI voce
 incessabili imploraturum esse. Qui etiam ipsius gratiâ
 & assistentiâ Spiritus Sancti in hodierno conflictu &
 in posterum ex alto adesse mihi, atque uti hæctenus, ita
 porro Evergetas ac Promotores studiorum meorum
 fidissimos in nominis sui gloriam, meum emolumen-
 tum, meorumque gaudium largiri velit.

MEMBRUM I.

De EXPULSI OTTONIS PERSONA.

§. I.

Terminorum evolutione sive explicatione, quæ aliàs rei co-
 gnoscendæ magnam lucem afferre solet, nullâ hîc opus erit.
 Quamobrem potiùs ordinem, qui juxta *Heideri* effatum,
intelligentiæ via & memoria Magister est, mihi maximè

com-

commendatum habebō. Tria verò in hoc Membro jure meritiſſimo conſideranda venient, nimirum (α) *Ottonis ortus ſive Parentes*: (β) *ejus Electio ſive evocatio ad Imperium*, & (γ) *ejus laudes ſive geſta*.

§. II.

Contemplaturus Ottonis IV. Imperatoris (α) *Ortum ſive Parentes*, deprehendo eum haud obſcuro ſive humili loco natum eſſe, ſed uti virtus præcipuè, ita & genus unà eum reddidit commendabilem. Fortis, ut Horatii verbis utar, creatus eſt fortibus & bonis. Habuit Patrem, Henricum Leonem, Ducem Bavariæ & Saxoniam, qui inde gloriari ſolitus, totam regionem, quàm latè pateret inter Albim & Rhenum, ſuæ ditioni eſſe ſubjectam. *Chriſt. Matthie Theatr. Hiſtor. pag. 947.* Matrem verò Mathildam, natam ex regio ſanguine Anglico. Quam Henricus Leo magna dote in auro, argento & gemmis adornatam accepit conjugem, poſtquam divortium fecerat cum Clementia, Conradi Ducis Salingiæ filia, obtendens titulum cognationis, vid. *Alb. Cranz. lib. 6. Saxon. cap. 29.* Quod matrimonium iudicio Eccleſiæ fuit ſolutum, teſte *Madero vetuſt. & majeſt. Domus Brunſwic. & Luneb.* Hoc ipſum Imperatore juramento confirman- te, vid. *Chron. Montis Sereni Anno 1163.* Fuit autem Henricus Leo puer adhuc infantulus, quando Ducatum Saxoniam obtinuit, *Helmold. lib. 1. Chron. Schlavorum cap. 56. numer. 7.* quo Parens ejus Henricus Superbus, Dux itidem Bavariæ & Saxoniam ejectus per Albertum Urfum Conſobrinum ſuum. Quem rebellantem ſibi Henricus Saxoniam ingreſſus, cum caſum & miſerias ſuas amicis proponeret, ad- jutorio eorundem & ſuorum, qui de Bavaria & Suevia occultè eum infe- cuti ſub ſpecie peregrinationis terram intraverant, viciffim deinceps e- jecit, atque adeò humiliavit, ut caſtris ejus dirutis, terris circum- quaque vaſtatis ad Regem auxilii gratia ire compelleret. *Nauclev. Ge- ner. 38. pag. 201. Conrad. Abbas Vrſpergenſ. qui de Imperatoribus no- ſtris multa ſtudioſè collegit.* Henrico Superbo mortuo Saxones a- more filii ſui parvuli, quem eis adhuc vivus commendavit, ei Duca- tum defenderunt, *Otto Friſingens. lib. 7. Chron. cap. 25.* Plura de iſto Henrico Leone præter jam adductos Autores vide ſis Celeber- rimum Poly-Hiſtorem *Schurzſleiſchium* in *Differtatione* de ipſo conſcripta.

§. III.

Paternum igitur maternumque sanguinem Cæsareis regiisque dignitatibus meritis erga orbem Christianum illustrem, gloriosum, animos principum Ottonis ad electionem impulisse credibile est. Genus in electione attenditur, cum consentaneum sit, meliores esse eos, qui sunt ex melioribus: accedit quod humili loco orti, eVecti impotenter se gerunt, pristinae suae conditionis immemores. Nam

*Asperius nihil est humili cum surgit in altum,
Cuncta ferit, dum cuncta timet, deservit in omnes,
Ut se posse putet, nec bellua tetrior ulla est,
Quam servirabies in libera colla furentis:
Agnoscit gemitus & pœna parcere nescit,
Quam subiit, dominique memor, quem verberat, odit.*

Claudianus lib. 1. in Eutrop.

§. IV.

Ottonis (β) Electio ita se habuit, ut nullum in ea aliquis inveniat ambitum, nullam prensationem, nullos nummarios Electores, nulla arma injustè sumpta: nihil actum Pontificum impulsu, nihil extra vocationem aut ordinem. Neque in Electoribus ullus ei vel consanguinitate propinquus, vel ditionibus confinis, neque forte aliquis beneficii accepti nomine obnoxius ac devinctus, teste Meibom. in apol. pro Ottone pag. 7.

§. V.

Philippum, Henrici Viti, qui ab Italis Barbarossa dictus, fratrem Principes Regni Germanici, penes quos eligendi potestas fuit, largitionibus quidem confecisse, Scriptores coætanei literis mandare non dubitarunt. Arnold. Lubec. Helmoldi continuator lib. 7. cap. 9. Otto de S. Blasio appendice ad Chronicon Otton. Frising. cap. 46. Unde major pars principum ei quàm Ottoni, utpote quos duos mortuo Imperatore Henrico VI. Principes Regni Germanici valde dissidentes Republicae pro uno Imperatores eligere & dare maluerunt, adhæsit. vide Sam. Pufendorff. Einleitung zu der Historie cap. 8. pag. 581. 582. Sed de Ottone, cui qui fasces Regni deferebant, initio paucierant, nimirum plerique Belgæ & occidentales Saxones, nihil horum commemoratur. Agebat peregrè in Galliis, ubi ditionem Pictaviensem ab avunculo Richardo Angliæ Rege, Viro magnæ probitatis, uti laudatur

datur apud *Robertum de Monte*, (qui continuavit *Sigeberti Monachi Gemblacensis Chronologiam* ab anno 1111. usque ad 1210.) donatione liberâ acceptam, titulo Comitis possidebat. Procul igitur absens prehensare Electores non potuit, multò minùs auro corrumpere, neque forte in Germania erant, qui ejus partibus magnopere studerent.

§. VI.

Fratrem Germanum *Heinricum Saxonix Ducem, Rhenique Palatinum* electioni interfuisse affirmat *Arnoldus Lubec. lib. 6. Chron. Selavor. cap. 1. num. 11.* cujus verba ita sonant: *Interea quoque Palatinus de Rheno Henricus cum multis nobilibus, qui omnes unanimi consensu Ottonem, Henrici nobilissimi Principis & Ducis filium in Pictavio adhuc constitutum in Regem & Romani Imperii Principem elegerunt, missisque Legatis eum cum summo honore Coloniam usque perduxerunt. &c.* Quamplurimi tamen contrarium sentiunt, vide *Meibom. apol. pag. 8.* ubi nequaquam audiendum esse vult *Hieronymum Henningesum præfat. in alteram partem Genealog. secundi & tertii Regni in quarta Monarch.* quando scribit: *Ottonem IV. ad Imperium evectum à Pontifice Romano per fratrem Henricum Palatinum Rheni,*

§. VII.

Ego potiùs existimo: quod, licet Ottonis Frater electioni unâ adfuerit, hæc tamen minimè ideò pendere potuerit ab unius istius potestate, favore & benevolentia. Aliam causam dedi supra §. 3. & dabo statim §. 9. & seqq. Accedit insuper, quod, uti jam dictum, quamplurimi Electorum initio ad Philippum animos inclinârunt. Quid ergo præsentia & supplicatio Fratris Ottoniani, si hæc statuenda, tum temporis ad electionem juvit? Quare legi merentur apud *Meibom.* literæ rei gestæ seriem novique Regis scilicet Ottonis commendationem continentes, quas Electores principes ut ostenderent, qua fide & integritate NB. in negotio totius orbis Christiani salutem concernente, versati sint, quomodo nihil contra leges patrias moremque receptum egerint, ad Pontificem Romanum Innocentium Romanam miserunt. Quas *Baronius Cardinalis, celebris annalium con- tor,* conservasse dicitur. In quibus etiam monstrantur & nominantur, quinam & quot Electores principes fuerint, qui Ottonem, *Christiane fidei cultorem devotissimum atque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Advocatum & defensorem fidelissimum, & Judicariæ potestatis observatorem ju-*
stissi-

stissimum. (sic enim quædam verba istius epistolæ sonant) *de longa & antiqua Regum prosapia ex utraque linea specialiter editum*, ad Romani Regni fastigium justè & rationabiliter elegerunt & subscripserunt literas, quibus *Innocentius Pontifex* acceptis ipse Ottonem Regem ritè creatum pronunciasse fertur. *Meibom. apol. p. 15.* Cui addita invenies Diplomata Ottonis. *Dn. Matthiæ l. c.* Electionem Ottonis hoc modo factam esse tradit: *Otto IV. ex pacto, quod Philippus Imperator & Status Imperii cum eo fecerant, in locum Philippi occisi, à Principibus Germaniæ electus, A. C. 1208. & Romæ ab Innocentio Pontifice Augustus salutatus & inauguratus est, Mense Octobr. Ao. C. 1209. vide rursus Dn. Pufendorff. l. c.*

§. VIII.

Haud proinde obesse Reipublicæ putandum, si Electione alicui legitima deferatur gubernandi potestas. Nam *si rectè instituta sit suffragatio, nullis illaqueata præjudiciis, quis neget optimum quemque per electionem reperiri? Tacit. 1. histor. quis non conetur Reipublicæ suæ, cui consulit, præficere eum, quem scit à natura & arte ad frenâ Reipublicæ capessenda benè instructum? Cooptandi enim judicium integrum, & si eligere velis, consensu monstratur. Tacitus ibid.* Sic *Tullio Hostilio* in honorem virtutis regnum ultro datum. *Florus lib. 1. cap. 3.* Scilicet hæc virtutis vis est, ut latere non possit: Exerit enim se in auram liberiolem; & nisi invidiæ nebula obfuscârit hunc solem, radios suos longè latèque emittit. Eligatur ergò is, qui cæteros virtute & prudentia longo post se intervallo relinquit. Plus etiam inter eligentes & electum benevolentia est: illi favore & amore prosequuntur eum, de quo spem concepere bonam: hic vicissim animo in eligentes solet esse propensio & benigno, à quibus imperandi potestatem adeptus est. Et si faciem universæ Reipubl. spectes: loco libertatis erit, si eligi incipimus.

§. IX.

Sequuntur (γ) *Laudes Ottonis ad astra tollenda*: Postquam enim ad dignitatem Imperialem esset evehctus, ut in Imperio pacem & tranquillitatem servaret, studuit, nec quicquam temerè aut inconsultò fecit, sed adhibitis prudentissimis Viris Jure Consultis, à quibus jura Regni diligenter inquiri jussit, *Matthiæ pag. 947. & 948.* Multiplici virtute fuit ornatus: *religiosus ac pius, liberalis, affabilis, ro-*
bu-

bustus ac valens, mansuetus, sapiens & misericors. Haud defuere ei
requisita boni & veri Imperatoris, quæ sunt scientia rei militaris, vir-
tus, Auctoritas & felicitas, Cic. pro lege Manilia: At dolendum est
nimis, quòd non in melius inciderit seculum, fata enim urgebant
Germaniam, Principibus plerisque, sive superstitione, sive invidiâ de-
mentatis, avitamque libertatem auro pretiosiore, & cum ea jura
Romani Imperii majorum sudore & sanguine acquisita, in sui ipsius
ipforum perniciem & infamiam, Italiae toties debellatae ignaviter re-
signantibus. Quid in civili societate *bonâ Imperii Constitutione*, sive
velis utilitatem salutarius, sive quæras delectationem jucundius? Ful-
crum rerum humanarum est, quo sine nec *ulla civitas, nec domus ul-*
la, nec universa hominum natio, ubi gentium sit, stare, nec *natura* illa
rerum omnium parens dædala, sic *Lucretio*; sagax, sic *Mantuano*; om-
niferens, sic *Marullo* dicta; nec ipse *mundus*, quo nihil gentium vel
majus, vel ornatius, vel mirabilius ad oculi ictum sese sustinere potest.

§. X.

Pietatem Ottonis deprædicavit *Sigfridus Hildensheimensis An-*
tistes: quod nimirum fuerit *Vir devotus & DEUM SEMPER PRÆ*
OCULIS habuerit. Fuit namque bene natus, ingenuèque & libera-
liter educatus. A religiosissima summæque pietatis & casti pudoris
decus enixè conservante matre Mathilda, Henrici Angliæ Regis fi-
lia exemplo Tobiae ab infantia DEUM timere edoctus est, ut ocula-
tus pariterque religiosus & integer testis *Arnoldus ex Monacho Sancti*
Egidiano Brunsvicensi primus Lubecensis Abbas lib. 2. cap. 2. Qui
ipse indicat *lib. 7. cap. 17.* qualia fuerint primordia Imperii Ottonia-
ni, inquit: *Orta est nova lux in Orbe Romano, jucunditas pacis &*
securitas quietis. De ejus fortitudine & potentia secundum *Vrspen-*
gensem strenuissimi quidam & ad pugnam exercitatissimi milites an-
te prælium ad Regem Franciæ his usi sunt verbis: *Domine nosti, quam*
fortis sit in pugna Imperator. Audiamus rursus *Arnoldum Lubec.*
lib. 6. cap. 2. *Otto potens erat viribus, audax animo, rugiens ut catu-*
lus leonis, suscitatus ad prædam, ad bella paratus, aut vincere aut vin-
ci affectabat.

§. XI.

In genere de *omnibus* supra recensitis *virtutibus* testimonio fuit
vir ævi & ingenii simplicis, nec rei ignarus, quippe qui testis domesti-

B

CUS,

cus. Is igitur, citante eum *Meibom. pag. 10.* linguâ meâ veruaculâ hunc
in modum :

Man sieht ouck sülfche Mere
Det her ehn skone Bürste were
Got to spreckne und ober milde/
Ehn türe Ridder unter skilte.
Frahm und goder Sitte/
Gadesforcht wahnde im mitte
Sine Jägd hadde ouck Wißheit/
Dat des Rickses Werdicheit/
An ehm nich were verlahrn
Off he eynliche were gefarn.

Et paulò post:

Alleyne der werde Keyser klar/
Hedde ehn kündig Harte gar/
He was doch daby barmhartig/
Und helt sich doch algelich.
Vor ehnen Nied-Heren man/
Dat süht man all süngher Wahn.

§. XII.

Sunt hæc Encomia optimi Regis, vel Imperatoris, quæ *Seneca*
Tragædus paucis comprehendit versiculis:

*Consulere patriæ, parcere civibus,
Fera cæde abstinere, mores regere,
Reddere orbi quietem, seculo pacem suo,
Hæc summa virtus, petitur hæc cælum via.*

*Leo Magnus Epist. 82. cap. 1. ad Anastasium Imperatorem: Plus ta-
men erga corrigendos agat benevolentia, quam severitas: plus exhor-
tatio, quam comminatio; plus caritas quam potestas.* Hæc ipsa sunt,
quæ *Bodinus de Republ. lib. 4. cap. 6.* admonere voluit, ubi instruit
Principem, quo pacto sese gerere debeat. Et meritò commendatur
Anastasi Imperatoris pietas & clementia. Is enim cum quidam
præfectus Asiaticus ei significasset, mandatum ipsius de coercenda
quorundam Ecclesiasticorum licentia sine sanguine se exequi non
posse, rescripsit Imperator: Μηδεν βόλεσθαι πορευθῆναι, μηδ' αὖ εἰ
μέγα. π. καὶ ἀξίολογον ἢ εἰπερ εἰς αἵματι. ὁ ἄκχεοιτο, i. e. non velle
se quid-

se quidquam procedere omnium, quamvis res magna & memorabilis sit, siquidem sanguinis una gutta effundi debeat. Verum enim est, quod dicitur, non minus turpia esse Principi supplicia, quam Medico multa funera.

§. XIII.

Magnum est & arduum omninò munus Imperatoris, utpote cujus est pro Christiana religione nullum unquam discrimen reformidare, pro focus atque aris insultantium hostium impetus sustinere, medias inter acies invicto semper erectoque animo stare, arbitrium ignaviae omnium ac virtutis esse, turbatas acies restituere, fugientibus obsistere, voce & manu singulis adesse, consilio universis prodesse, hostem denique profligare, evertere, subjugare. Unde præclarissimè Poëta quidam:

*Res gerere ac captos ostendere civibus hostes,
Attingit solium Jovis & cælestia tentat.*

MEMBRUM II.

De

HOSTIBUS OTTONIS, QUI EUM EXPULERUNT.

§. I.

TRadunt passim Historici, instinctu Papæ *Innocentii III.* sanè *nocentissimi, egregii illius*, si Diis placet, *declamatoris miseriae hominis, ambitionis, superbiae & cupiditatis mancipii*, Expulsionem Ottonianam factam fuisse. Hic non dubitavit *unctum Domini*, (cui ne Christus quidem voluit ademtum esse quicquam de jure suo, quique *Ethnicorum* etiam judicio *ἱερὸν καὶ ἄσυλον*) oppugnare, prorsusque evertere, expromtâ in eum solenni detestatione, quæ illum piorum communione submovit, atque omnes principes populosque, quotquot Sacramenta illi dixissent, religione solutos, ab illo tanquam à nefario homine & capitali Ecclesiæ hoste, recedere præcepit. Adeò Germaniæ Principes Pontifex hic seditiosissimus ad rebellionem inflammarat.

B 2

§. II.

§. II.
Reverâ Imperialis felicitas Papali semper impugnatur invidiâ,
ut *Fridericus II.* Imperator dicere solitus est. vide *Petrum de Vineis l. 1. c.*
cap. 31. qui imperatoriam auctoritatem contra Pontifices defendit, cu-
jus libro *Innocentius IV.* alio scripto respondit, quod *Apologeticum*
appellavit. Effœminatissimum mancipium est, ut cum *B. audio* lo-
quar, *Papa*, cui soli nihil est, *Reges & terrarum Dominos* proscribit,
sceptra exuit, ferro & igni persequendos censet, vitâ si fieri possit orbân-
dos autumat, bona diripienda prædonibus largitur. Ita Pontifici
verbis Magistratum quidem extollere nonnunquam solent, sed re
ipsum parùm curant. Papam enim suum vel ipsi Imperatori ante-
ponunt, qui certa officia ipsi præstare teneatur: adeoque potestatem
illi ipsi assignant Imperatores & Reges dejiciendi & removendi.

§. III.

Inde *Scriptor* quidam Pontificius non dubitavit Pontificem Ro-
manum vocare currum DEI, qui totum orbem portet. Et tribuunt
Pontifici Pontifici suo utrumque gladium, hoc est, geminum officium,
spirituale & temporale. Plura lege apud *D. Balth. Menz. Exeg. A. C.*
Art. XVI, pag. m. 721.

§. IV.

Gregorius VII. (olim *Hildebrandus*, seu potius *Hellebrandus*,
id est, *titio infernalis*, ceu dici meruit) Monacho Papa, fanaticus Hie-
rophanta, nequissimus ille, quo neque *speciosiore* *Hypocritam*, nec
pejorem tyrannum sol unquam aspexit, quique, si ipsam causam ex-
pulsionis *Ottonianæ* spectes, de qua *Membro* seq. & ult. *Primus hu-*
jus profligati instituti pessimi & valde noxii machinator, *architectus*
& *auspex* fuit, *Romam caput orbis terrarum* renunciavit, quando
contra Imperatorem *Henricum IV.* fulmen *Excommunicationis* tor-
sit, constituendi atque deponendi Imperatoris jus sibi arrogavit, ipso-
que opere id declaravit, diplomate in omnes Provincias, Germaniæ
præsertim *Proceribus* missis, quo *Henricum* solio deposuit, & ab ejus
obedientia omnes subditos exsolvit. Quam *destitutionem* *Henri-*
rici IV. omnibus modis injuriosam & per factionem Pontificiam con-
flatam fuisse autumat *Bæcl. de Not. S. R. Imp. c. 1. l. 4. pag. 63.* Plu-
ra de hujus *Gregorii* actis & flagitiis vide apud *Meib. apol. pag. m. 68.*
it. Comp. Goth. Hist. Eccl. c. 4. sect. III. p. 577. & 585.

§ V.

§. V.

Summa sæpe numero Paparum ingratitude erga benè meritos ; exemplo horum, item Papæ *Pauli Tertii* & Papæ *Pii Quarti*. *Camerar. hor. subciv. sive medit. histor. cent. 3. pag. 204. & 205.* Injusta Papæ judicia, *idem pag. 131.* Intolerabilis Papæ tyrannis & sævitia, *idem pag. 131. & 132.* Nam in hac expressè *Clementem V.* Pontificem Romanum ab uno, Natione Italo, patriâ Neapolitano, cum damnatus, ut vivus cremaretur, magnâ & clarâ voce hoc Titulo, *Sévissime Clementis Tyranne*, insignitum legimus.

§. VI.

Solet aliàs in *Jure publico*, plerumque tamen à *Politicis* hæc *questio satis ponderosa* proponi. *Cuinam jus deponendi sive expellendi è regno Imperatorem competat?* Pontifici nihil hic juris monstrant Scriptores Monarchici apud *Goldastum & Carpzov. de capitul. c. 13. sect. 6. num. 7. & 8.* quin potius hic contrarium probat *c. 2. sect. 4.*

§. VII.

Nihil Juris in Imperatorem Papæ est relictum, quin potius *jus eligendi ac confirmandi Pontificem penes solum Imperatorem residet*. Quod jus ex antiqua consuetudine Imperatores Orientis obtinuerunt, ut nimirum sine eorundem scientia & jussu Pontifex Romanus ordinari non possit, *Carpzov. de Lege Regia German. cap. 11. sect. 4. num. 2.* Nec tantummodo Imperatores Pontifices creare & confirmare, sed & *eisdem justa ex causa deponere* solebant. Tempore siquidem *Henrici Imperatoris Benedictum Papam*, qui *Stephano* successit, à Pontificatu ejectum, & factum Papam *Johannem Sabiensem Episcopum*, aliàs *Sylvestrum*, huncque rursus ejectum, inque locum ejus surrogatum *Johannem Archi-Presbyterum*, *Gregorium* nominatum : atque hunc etiam ab *Henrico* Imperatore depositum & ultra montes translatum fuisse, his & pluribus exemplis probat *Carpzov. num. 13.*

§. VIII.

Vera si hæc sunt, ut certè sunt verissima, quin Papa Imperatori subditus esse debeat, ulterius ambigendum non erit : Quis enim inficias ibit, *superiorem esse eum recognoscendum, à quo confirmatio & investitura petitur.* Quod ingenuè confessus *Gregorius M.* (qui vel vitæ sanctitate vel diligentia in rebus agendis, vel doctrinâ etiam, nemi-

nem ætate suâ superiore, atque ita non sine causa Magni cognomen habuit) Pontifex Romanus inquit ad *Mauritium* Imperatorem: *Ego indignus pietatis vestræ famulus.* Et iterum: *Ego hæc Dominis meis loquens, quis sum nisi pulvis & vermis.* Ac postea: *Ego jussioni subjectus eandem per diversas terrarum partes transmittito, ubique ergo, quæ debui, exsolvi, qui & Imperatori obedientiam præstiti, & pro DEO, quod sensi, minimè tacui.* vide scripta ejus prolixè commemorata in *Comp. Gotb. H. E. pag. 434. & 435. lib. 2. cap. 3. sect. V.*

§. IX.

Circa *Depositionem Imperatoris* iterum *Clerico-Policorum Romanensium* conatus se plane ridiculus exerit, dum eam ad Pontificem summum pertinere scriptitant, vid. *Limn. in Republ. Imper. Romano-German. Tom. 2. pag. 10. num. 18.* & apud eum plures alleg. *Aa.* Sed horum ecce invictissimum argumentum: Imperator non potest negare, se Christo subesse: Ergo, nec negare potest, se subesse Pontifici. Christo enim & Papæ idem est tribunal: cum hic sit ejusdem vicarius in terris, & quasi alter Deus. Quemadmodum *2. Thess. 2, 4.* quoque *D. Paulus* Papam sistit: quod sit *ὡς εἰρηρῶμεν & Ἰπὶ πάντων λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα, ὡς αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τῆς θεῆς ὡς θεὸν καθεύσαι, διὸ δὲ εἰκνυῖται ἑαυτὸν, ὅτι ἐστὶ θεός;* exemplo *Papæ Pauli V.* qui non veritus est nuncupare se *VICE DEUM*, vide *Theophyli Raynaudi lib. de corona aurea supra mitram Pontif. Roman.* item *Abrahami Bzovii Pont. Rom.* in primis *Magnifici Dn. D. Mejeri, Chrysofomi Hamburgensis, den an Päbstischen Dertern reisenden und daselbst wohnenden Lutheraner quest. 9. im Gew. Unterr. p. 133.*

§. X.

Nos explosâ hâc consequentiâ, Pontificiis in præsentiarum illud reponimus, quod *Philippus Pulcher* Francorum Rex *Bonifacio*, se gerenti pro summo Pontifice; *Salutem modicam sive nullam, sciat tua fatuitas maxima, nos in temporalibus nemini subesse, secus credentes, fatuos reputamus & dementes.* *Hottomann. in brut. fulm. pag. 77.* Quam egregiè verò hic vicarius, si Diis placet, cum capite & Principe Regni Christo conveniat, patet ex sequentibus adductis à *Petro Asyle* in *Tyrann. Antichristi:*

*Christus regna fugit, sed vi Papa subjugat urbes
Spinofam Christus, triplicem gerit ille coronam.*

Ab-

*Abluit ille pedes, Reges huic oscula præbent,
 Vectigal solvit, sed Clerum hic eximit omnem.
 Pavit oves Christus, luxum hic sectatur inertem.
 Pauper erat Christus, petit hic regna omnia mundi.
 Bajulat ille crucem, hic servis portatur avaris.
 Spernit Christus opes, auri hic ardore tabescit,
 Videntes pepulit templo, quos suscipit ille,
 Pace venit Christus, venit hic radiantibus armis.
 Christus mansuetus venit, venit ille superbus,
 Quas leges dedit hic, Præsul dissolvit iniquus.
 Ascendet Christus, descendet ad infera Præsul.*

§. XI.

Qui *Electores* tribuunt hoc jus, iis *rationibus* nituntur, (1.)
quia is, qui jus eligendi habet, etiam gaudeat facultate iterum depo-
nendi. (2.) propter Moguntini effatum, quando contra Imperatorem
Henricum declamavit: Quem meritum investivimus, quare immeri-
tum non devestiamus? Arnif. lib. 1. de Jure Majest. cap. 6. num. ult.
Immeritum dico, sunt verba Carpzovii de Lege Regia German. qui non
saltem de Republica benè mereri haud studet, sed & eam pessundare
fatagit: cujus conatibus, si leviora nihil perficiant, ipsa etiam manu
obviandum est, ne quid Imperium detrimenti capiat. vide Gold. in po-
lit. Imper. pag. 12. & Vitriar. in Instit. Juris Publ. lib. 1. Tit. IX. 295.

§. XII.

Ad Majorem argumenti istius: *Quicumque habent potestatem*
eligendi Imperatorem, illi etiam habent facultatem deponendi, A.
Soli Electores &c. E: respondetur ab Excellentissimo nostro Do-
mino L. Ottone Menckenio Præceptore, Benefactore ac Promotore
meo sanctè ac piè colendo in Discursu super Tab. Thomasi, non va-
lere hanc consequentiam. Negatur v. gr. uti ait, uxor, quæ eligit
maritum ex pluribus, eundem potest deponere. Sic in Regnis Electi-
vis omnibus procederet, ut populo jus esset deponendi, quod tamen
nemo statuit, imo ne Monarchomachi, nisi tyrannidem Reges exer-
ceant. Ut autem soli Electores Imperatorem eligerent, salus Reip.
exigebat, si enim omnes eligerent, confusio magis esset oritura. Alia
autem est ratio depositionis. Non potest à solis Electoribus Impera-
tor deponi, quia maximæ ab Imperio turbæ possent oriri.

§. XIII.

§. XIII.

Inveni in alio quodam MSC. Collegii super A. B. Caroli IV. hanc quæstionem, *An Electoribus competat Jus degradandi Imperatorem?* solutam his verbis, quæ integra ascribam: *Nostra est sententia, neque ex jure positivo, neque ex ratione naturali, Electoribus competere jus degradandi Imperatorem. Quod non competat, jure positivo constat, quod quæ sententiæ contrariæ rationi sunt, jus allegare non possunt. Quantum verò ad jus naturale, Evangelicorum Politicorum constans sententiæ est: regulam illam non valere, cui competit jus constituendi, competit etiam jus degradandi: propterea quod nostri Politici ita tradunt, Principem non constitui a populo, sed per populum a DEO. Unde cum a solo DEO constituatur mediante populo: ideo cum non constet de voluntate DEI, abstinendum est a degradatione, donec eum ipse deposuerit per mortem. Possunt quidem tales leges fundamentales constitui, per quas in casu tali, si Imperator peccat, aut malè administrat Rempublicam, populus subiectus obedientiâ debitâ solvatur. Sed tales leges fundamentales ita constitui nec populo utile est, dat enim occasionem seditionibus, nec præsumitur factum nisi præbetur. In nostra Republica non sunt institutæ tales leges, E. Electores Imperatorem non possunt deponere. Quantum ad exempla, non probamus illa facta aut dicimus illas depositiones, sed degradationes, non tam fuisse veras depositiones, quam declarationem publicam atque solennem, per quam Imperator deposuit Imperium, quod dici potest de Wenceslao, qui ante depositionem plane neglexit res Imperii. Unde cum possit Imperator expressè resignare, non dubium est, quia tacita resignatio idem operatur. Imperator non quidem verbis Imperium negligit, sed factò, non videtur depositus, sed deposuisse se ipsum.*

§. XIV.

Sunt, qui statuunt, Expulsionem seu depositionem Imperatoris fieri debere ab *Electoribus & reliquis statibus Imperii simul* (1.) quia nulla lege fundamentali cautum est, quod depositio solis Electoribus competat. (2.) quia historia docent, *Adolphum Nassovium & Wenceslaum depositum esse ab Electoribus cum consensu statuum Imperii.* Si meam quis sententiam petat, respondeo me iudicium meum hîc suspendere: Certam si alii placet eligere sententiam, liberum esto.

MEM-

MEMBRUM III.

De

INJUSTISSIMA CAUSA EXPULSIONIS OTTONIANÆ.

§. I.

EXigebat sub actum coronationis Pontifex more recepto à Cæsare *Juramentum*, à quo multorum malorum occasio & primordia. De Cæsaris *Juramento*, quod & quale aliàs sit, vide *Aur. Bull. tit. 2. Sleidan. lib. 8. item Schönborn. Politic. lib. 5. cap. 8. Apud Helmoldum Presbyterum Buzoviensem lib. 1. cap. 60. ab Henrico V. Imperatore Palchalem Papam tale exegisse Juramentum legimus, quatenus in catholica fidei observantia integer: in Apostolica sedis reverentia promptus: in Ecclesiarum defensione sollicitus esset.*

§. II.

Ottonem nostrum *Innocentius* longè graviori jurejurando se devincere compulit. Quodnam istud fuerit, prolixè tradit sapiùs laudatus *Meibom. apolog. pag. m. 48.* Nam germanissimus ille hypocrita ex lucro omnia metiebatur, parumque erat sollicitus de mandato Filii DEI jubentis, *dare Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & quæ sunt DEI, DEO.* Hoc unum saltem memorare placet: Nimirum jurejurando Otto IV. Imperator obligare cogebatur: *De obedientia Ecclesie Romanæ prestanda, ejusque ditione* (patrimonium S. Petri, quod idem *Meibom. loc. cit. & pagg. seqq.* fusiùs explicuit, vocant) *ab aliquibus Imperatoribus injustè hætenus detenta, ex possidentium manibus extorquenda, sedique Romane cum omnibus juribus integrè & liberè dimittenda, ac deinceps pro viribus propugnanda.*

§. III.

Cui Juramento Imperator antea annuit, sed ut *homo novus & rei nescius*: forte etiam nihil sinistri suspicans de eo, qui se *sanctissimum Principem optimumque Christi Vicarium ostentat, in theatrum orbis terrarum positus.* Verum aliter informatus à Legisperitis vicariisque Magistratibus de Juramento isto iniquo & valde doloso sententiam mutavit, seriò secum cogitans, quam sustineret personam, nempe *Patris Patriæ & semper Augusti, cui nulla data sit potestas,*

6

vel

vel à jure vel ab homine, dissipandi vel alienandi res Imperii, quæ sint juris publici, sed sinequeat augere, teneatur tamen diligentissimè conservare; Theodoricus Niemijs Nemore Unionis tract. 6. cap. 33.

§. IV.

Compertos etiam cognitosque habebat tam Pontificum quam civium Romanorum animos, qui in id conspirassent, ut *Imperatores Germanos, inani Cesarum titulo ludificatos*, totâ paulatim Italiâ, primo & avito ac primo Imperii patrimonio, ejicerent & ultra Alpes in Germaniam relegarent.

§. V.

Pontifex Innocentius, cum Imperatorem non minus juris manifesti atque ipse dubii controversique esset, tenacem videret, nihilque vel monitis vel minis proficeret, ad *formidabilem illam, è veteris Ecclesie disciplina in novum usum detortam Excommunicationem sive à vâ Jemæ* se convertit, neque tantum Innocentem Imperatorem diris devovit, sed simul honore & dignitate Imperiali privavit, subditis ordinibus à fide & jurejurando, quo ei tenerentur, exemptis. Adeoque Otto IV. qui *piè vixit & beatè mortuus*, ab Imperio quod *annorum quidem tantum viginti fuit & unius*, sed ærumnis & miseriis & acerbitatibus continuis refertum ac plenum, remotus à Pontifice & Principibus quibusdam Electoralibus sine ulla spe recuperandi illud in Germaniam accelerare coactus est.

§. VI.

Menckenius noster supra laudatus causam expulsionis Ottoniana ita elocutus est: Ottoni IV. increfcere dissidia cum Pontifice Romano cœpere, quod Jura Cesarea adversus Pontificem vindicare instituisset. Hoc ipsum debuisset Electoribus probari, sed contrarium tum evenit pro superstitione seculi, ut adeo Otto IV. adactus fuerit Imperio desistere & privatam vitam agere.

§. VII.

Expulsionem hanc è regno indignissimam fuisse & iniquissimam, spectamen insolentiæ & tyrannidis Pontificiæ, usurpantis sibi indebitum in Magistratum Politicum Imperium; avertentis pariter divinas & humanas leges: fixum destinatumque habentis, *levâ templum, dextrâ Palatium tenere*, quæ verba sunt *Niceta Choniatis lib. 2.* quis, perspectis hisce omnibus, haud mecum ingenuè fateretur?

§. VIII.

§. VIII.

Est autem aliquâ in re deliquerit Otto, istum tamen in modum corripendus corrigendusque nequaquam fuit. *Ut enim Medici non est pœnam irrogare, sed sanare; ita Pontificem non punire, sed curare delinquentes decet.*

§. IX.

Coronidis vice in historia falsissimum illud epigramma, quod ad causam expulsionis Ottonianæ demonstrandam, *Johannes Christianus Francus, qui annorum nostrorum memoriâ Impp. res gestas ex professo describendas sumsit, concinnavit, addo, quod tale est:*

*Expulit è regno funesta superbia Othonem
Qui proceres claros spreverat atque pios.
Pontificique datam servare fidem furibundus
Respuit, emeritam pertulit ergò fugam.*

Ego è *Meibomio* & cum ipso aliud reponam, si non melioris monetz, saltim indubitatz veritatis. Est autem hoc

*Expulit è regno rabies Papalis Othonem,
Qui patriæ nunquam noluit esse Pater,
Imperioque datam temerare fidem generosus
Abnegat, hinc Itala fraude doloque perit.*

§. X.

Quæri solet: *Quenam debeant esse justæ causæ, ob quas Imperator deponatur seu è regno expellatur?* Hic LL. Imperii fundamentales prorsus silent. Interea, qui pro Pontificis autoritate decertant, illi Imperatorem ab eo deponi & excommunicari posse scribunt, *propter hæresin, sacrilegium & perjurium, exinanitionem Feudi, quod ab Ecclesia tenet; aut si in servitutem vellet redigere Laicos & Clericos.* *Bellarmin. lib. 5. de Rom. Pontif.*

§. XI.

Mihi placet brevissimis causas hæc per *bina exempla* Imperatorum ob graves causas Imperio exutorum patefacere. Est primum *Adolphi Nassovii*, qui Imperio ideò privatus est, quia *Principem Imperii neglexerat, indignos extulerat, publicè adulteria patraverat, virgines, Moniales atque viduas stupraverat, innocentes occidi curaverat, fidem literis & sigillo roboratam violaverat.* *Vitriar. Inst. l. P. l. c. Limn. in Rep. Imp. Rom. Germ. Tom. 2, pag. 10, num. 26, 27. seqq.*

Lehman. Chron. Spir. lib. 5. cap. 118. ita loquitur: Daß er das alte Herkommen hindan gesetzt / der Churfürsten und Stände Rath in des Reichs und dessen vornehmen Glieder Sachen nicht gepflogen / Krieg und Blutvergießen im Reich angestellt / zu Feindschafft und vielfältiger Empörung zwischen den Ständen des Reichs Ursach gegeben / &c.

§. XII.

Bæclero in libr. de notit. S. Rom. Imp. cap. 1. lib. 4. pag. 62. seqq. exemplum hoc afferri & probari minimè placet. Ita enim sonant ejus verba: Adolphi Nassovii destitutio vagè & crudè afferri solet, absque ulla luce historiæ ac discussione juris. Et fuit sanè illis temporibus magnus Historia defectus, sed quantum tamen ex historia licet noscere, nullo modo probari potest, eum jure destitutum esse. Vult contradicere nonnullis aliis jam allegatis Autoribus, inprimis Carpzov. in lib. de Lege Reg. cap. 14. sect. 6. §. 6. & seqq. solum autem exemplum Wenceslai Regis Bohemia, qui Caroli IV. filius fuit, non injuriâ forte depositi, uti ait, probat.

§. XIII.

Sit hoc exemplum alterum: Cur enim *Wenceslaus* sive *der faule Wenzel* anno 1400. ab Electoribus remotus sit, patet ex sententia depositionis apud *Arnif. de Jure Majest. l. cap. 5. num. 5.* ubi has notare licet causas (1.) quod pacem in Ecclesia non curaverit, ortâ cum Hussitis in Bohemia lite. (2.) quod Imperium membris aliquot perniciosè mutilaverit & mutilum reddi permiserit. (3.) Quod membranas per plures nudas rarasque, suo tamen sigillo munitas, amicis pecuniâ vendiderit, in quibus cum illis tum aliis, in quorum manus istiusmodi membranæ venerunt, sub regio sigillo, quæ scribere voluerint, licuerit. (4.) Quod bella in Germania orta non suppresserit, sed auxerit. (5.) Quod cum propriâ tum aliorum facinorosorum, quos secum habuit, manu reverendos sacrorum antistites, Sacerdotes & spirituales personas, alios item plures honestæ notæ homines contra juris normam neci dederit, aquis submerserit, igne cremaverit, miserabiliter ac truculenter peremerit. (6.) Quod occupatus peregrinationibus carnificem secum duxerit, qui statim decollaret, quos ille odio notabat. *Gold. const. Imp. t. 1. pag. 379. & ex eo Vit. l. c.* Cuspinianus in Vita Wenceslai scribit, dignum hunc, qui non diadema in capite, sed laqueum

queum in collo gestaret, nec inter Reges vel Romanos, vel Bohemos, sed inter Histriones ac potius porcos numerandus. Vide plura de eo apud Limn. l. c. n. 30. & seqq.

§. XIV.

De OTTONE nostro nihil horum Historici Scriptores monumentis tradidere: Quare *miserrimam Imperatorum*, præsertim piorum, *conditionem* esse concludas oportet. Imperium eorum quantum oneris & periculi? Neque mirum, quod *Trajanus Imp.* (cujus anima precibus Gregorii Papæ ab inferni supplicii liberata fingitur à *Job. Damasc. in Orat. de his, qui in fide obdormierunt*, quanquam eam ob causam alii dubitanter *Damasc. hanc Orat. tribuunt*) tanquam *intolerabile onus* Imperium spreverit, nec nisi necessario susceperit. Quo respexit *Chrysostronus Hom. LXVI.* ubi dicit: *Non diadema Regis respiciendum, sed curarum tempestatem, per quam ipsis corona patitur.* Hoc cautè & prudenter animadvertit *Saturninus*, qui fuit *Africae Proconsul.* Cum enim ipsi invito à militibus purpura Imperatoria indueretur, flendo ita eos compellavit: *Nescitis amici, quid mali sit imperare, Gladii & tela nostris cervicibus impendent, imminent hastae undique, undique spicula: ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur: non cibis pro voluptate, non iter pro autoritate, non bella pro judicio, non arma pro studio.* Adde quod *omnis ætas in Imperio reprehenditur. Senex est quispiam, inhabilis videtur: sin minus, inest furor. Nam quod Imperatorem me cupitis, in necessitatem mortis me trahitis.*

§. XV.

Hic addo Disputationi Colophonem, decentibus ante omnia DEO pro præstito præsidio salutis gratibus. Quoniam verò iterum Papa, Imperator Turcicus & Rex Galliae, hostes Lutherani infensissimi crudelissimique omnem movent lapidem, ut Imperatorem nostrum Invictissimum atque Pientissimum è regno expellant, regiones suas funditus evertant, totamque Religionem Lutheranam maxime Christianam & Orthodoxam quasi in chaos religionum transforment & penitus eradicent, cum omnibus illi sincerè addictis Te,

ô Deus Benignissime Potentissimeque ita supplex oro:

*Expellas hostes, qui nos expellere sudant,
E regno, verà Tibi religione sacro.*

Hæc

Hâc spe nixi, quantò magis in nos sævitur, tantò plures pietatem fi-
demque per nomen JESU profiteremur, haud secus, quàm si quis vitem
putatione provocet ad ubertatem.

Perdere nos frustra Consul Romane laboras.

Perdere nos frustra Turcæ Gallique studetis.

Nam velut in Sylvis decisa repullulat arbor,

Et multi ex una veniunt radice nepotes,

Sic nostrorum uno centum de funere surgunt.

MELIORES MELIORA!

SUPERPONDIA.

- I. Historia de Judæo immortalis merè est fabulosa.
 - II. Defensio contra vim, licet non sit unquam optanda, tamen nonnunquam est necessaria & licita.
 - III. Homo naturâ est animal sociale.
 - IV. Nihil habet humana natura deterius calumniatrice linguâ.
 - V. Judæi certis conditionibus in Republica Christiana possunt tolerari.
-

*S*ummus perducit Præses, quos cæpit honores,
Sic sua Præsidio fama perennis erit.

Posuit Amico suo & conterraneo per
quam dilecto

L. L. Hamburg.

OTTonis quondam caruit bona causa patrono,
Nunc defendendam sumis, Amice, tibi.
Ex animo egregiis ego gratulor ausibus, optans
Præmia, quæ vivens Otto daturus erat.

*Pauca hæc Nobiliss. atque Doctiss. Dn. Præsidi Civi
atq; Amico suo estimatissimo L.M.Q. scrib.*

DITERICUS Godecken / Hamburg.

Philos. & SS. Theol. Stud,

34

Ech weiß/geehrter Freund/das Ihn viel Feinde hassen/
Die seine Tugenden sich nur verdriessen lassen/
Jedoch ich weiß auch diß/das unverdienter Neid/
Den unermüdeten Fleiß zu grössern Proben leitt.

Wie oft hat Er sich schon in Leipzig lassen hören/
Im perorirn und in Heiligen Gottes Lehren
Mit seinen Predigten; Jetzt da Er disputirt,
So unterläßt Er nicht/was die Gelehrten ziert.
Es segne Gottes Huld die wohlgepriesnen Thaten/
Und lasse ferner weit die saure Müß gerathen/

Das Hamburg seinen Sohn sich mög zu Troste sehn/
So wird alsdenn der Neid von selbstem untergehn.

Mit diesen wenigen Zeilen hat wohlmeinend des Herrn
M Herman Wiechorsts/als seines hochgeehrten und
vieligeliebten Hn. Landsmanns unermüdeten Fleiß
bezeugen / und zugleich zu dieser Disputation gebüh-
render massen gratuliren wollen

Johannes von Hargen / Hamburgensis
Phil. Baccal. & SS. Theol. Cultor.

1.
Eister/die voll Flammen stecken/
Streben immer nach und nach/
Gleich dem Feuer/zu entdecken
Ihren Glanz/und allgemach
Sich durch Fleiß empor zu heben/
Und es keinem nachzugeben.

2.
Eben unser Freund entzündet
Von der Flammen Heftigkeit/
Hat durch Schweiß und Fleiß ergründet
Den Weg der Unsterblichkeit;
Durch das (*) fallen will er zeigen/
Wie der (**) Gipffel zu ersteigen.

(*) Ottonis (***) der Ehren.

3. Wenn

akt Th. 1437

Wenn sich gleich will hefftig wehen
An diß Lob Ungunst und Neid ;
Fama wird sein Wesen sehen
In das Buch der Ewigkeit /
Ihn wird Himmel auf erheben
Fleiß / Verstand und frommes Leben.

Mit diesen wenigen Zeilen hat dem Herrn Autori
aufwarten wollen sein ergebener Freund
A. G. B. Hamb. & LL. Studiosus.

SÆpe quidem cœcâ invidiâ vexaris, Amice,
Quam tamen incessans labor & solertia vincit :
Hanc ita laudanter præstas ; hanc prædico jure ;
Cujus & existet certò Tibi Patria Fautrix.

*In honorem Clarissimi Dn. M. Hermannii Wiechorstii
Autoris Disputationis hujus doctissimi, Amici at-
que conterranei sui dilectissimi hæc pauca adde-
re voluit cum sincerâ gratulatione*

Johannes Albertus Ritscher / Hamburg.
J. U. Studiosus.



nc

lans



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak

LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



CHRISTIAN
Handlung
M. HERMAN
F. R. E.
Academia
Suppl. Mini. Soc.
Cor.
OTTO
EXPLU
INI
Jesu Coepit

